

Petrus de Vinea

*Ep. V 110 (Auberti Iohannis
de..., fidelis imperii...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 110 (Auberti Iohannis
de..., fidelis imperii...)*

1220-1250

Potestati, quod is, qui bona sua inter creditores distribuit, ad soluendum decimam curiae non cogatur.

1. Auberti Iohannis de..., fidelis imperii, nobis oblata petitio continebat, quod, cum ipse plures creditores haberet, uidens bona sua ad suorum solutionem non sufficere debitorum, inter creditores eosdem tam pro quantitate bonorum suorum quam pro quantitate debitorum ipsorum sine ulla prolixitate causarum promisit distribuere bona sua. Nec ideo sibi remansit aliquid, unde ducere ualeat uitam suam. 2. Vos, seu iudex uester, sibi impotenti et indigenti ad instantiam creditorum suorum precepta, sicut dicit, facitis de soluendo. Ob quae precepta de uestro mandato compellitur soluere decimam nostram curiam contingentem. 3. Cum igitur A. predictus sibi supplicauerit secundum iustitiam prouideri super predictis, uobis imperiali auctoritate mandamus, quatenus, si uobis constiterit de premissis, diligenti cautione prehabita, quod egeat, a preceptis huiusmodi faciendis, ut iustum fuerit, desistatis, ne ulterius dictus A. coram nobis cogatur iterare querelam.